



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 193. Casus invalidæ, adeòque iterandæ Confessionis. Et qualiter
tunc iteranda sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

esse non posse validum & informe, licet secus sit de Baptismo.

2371 Quoddam ex sensu Ecclesie invalida sit absolutio eius, qui sciens & volens confessus est sine dolore, & multo magis cum voluntate actu inhaerente peccatis, constat ex Tridentino sess. 14. c. 6. ubi sic: *non debet poenitens adeo sibi de sua ipsius fide ablandiri, ut, etiamsi nulla esset contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi & verè absolvendi desit, putet tamen se... verè & coram Deo absolutum.* Tam ergo (secundum Tridentinum) invalida est absolutio non contriti, quam absolutio sine animo serio & verè absolvendi.

2372 Doctrinamque laudati Authoris, n. 2365. enarratam, quod utique sine ullo dolore, atque adeo sacrilegè, sciens & volens confessus, cum tali confessione absolutus, licet tunc non recipiat absolutionis fructum, postea recipiet, si postea coneratur, sacrilegiumque confiteatur, in Ecclesia hæcenus inauditam fuisse, patet 1^o. quia hæcenus in Ecclesia auditum non fuit, quod Sacramentorum forma materiam præcedere possit, v. g. forma Baptismi abluionem, forma Confirmationis unctionem, &c. Dolor verò, seu contritio, secundum Tridentinum, materia est, seu pars materialis Sacramenti Poenitentiae.

2373 Secundò, quia in Ecclesia inauditum est, quod confessio formaliter non integra, possit esse valida (cujus oppositum tradit S. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. q. 2. dicens: quoddam confessio, formaliter non integra, non est confessio, sed confessionis simulatio. Oppositum etiam cum S. Thoma tradit Catechismus Romanus, tradunt & Ritualia omnia, Doctoresque omnes.) Atqui formaliter integra non est confessio illius, qui cum defectu doloris, adeoque cum sacrilegio, sciens & volens confitetur: nec sacrilegium istud confitetur, quo profectò non absolveretur. Non est (inquam) confessio formaliter integra, magis quam confessio illius qui confitetur cum voluntate actu inhaerente peccatis quæ confitetur, nec istam confitetur inhaerentem. Ut enim confessio moraliter sit integra, debet esse omnium mortalium, quæ sunt in conscientia, sive per sui memoriam, sive per sui presentiam; speculatioque illa Carolina, quod confitenda sint quæ in conscientia sunt per sui memoriam, non quæ in conscientia sunt per sui presentiam, sive que actu committit, dum confitetur, mera est cavillatio, & ipsa hæcenus inaudita. Cum Tridentinum sess. 14. c. 5. declaret oportere à poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recitari, non distinguendo utrum eorum conscientiam habeant per sui memoriam, an per sui presentiam. Denique ridiculum profusque inauditum est asserere, voluntariam omissionem mortalium, quæ in conscientia sunt per sui memoriam, obesse valori confessionis; secus voluntariam omissionem eorum quæ in conscientia sunt per sui presentiam.

2374 Tertio, quia inauditum hæcenus fuit in Ecclesia, quod peccatorum mortalium unum sine alio validè absolvi queat. Hoc autem laudatus Author asserit, & S. Doctori adscribit. Asserit enim, & S. Thomæ adscribit, quod valida sit absolutio eius qui non confitetur voluntarium defectum doloris, seu sacrilegium, cum quo sciens & volens confitetur. Manifestum est autem, defectum illum, seu sacrilegium, non confessum, validè non absolvi (etiam indirectè) nec posse absolvi, pro tempore quo actu committitur. Eo tamen non obstante, asserit cætera mortalia confessa validè absolvi. Idque S. Doctori adscribit. Abit verò à nobis, quod tam patentes errores sancto Doctori adscribamus.

Casus invalida, adeoque iteranda Confessionis. Et qualiter tunc iteranda sit.

Assertio prima: quoties confessio mortalium, legitime non confessorum, invalida fuit, iteranda est, sive defectus valoris culpabilis fuerit, sive inculpabilis. Et sive defectus se tenuerit ex parte poenitentis (v. g. ob voluntarium defectum doloris, voluntariamve reticentiam alicujus peccati necessariorum confitendi) sive ex parte Confessarii, ut quia non habuit jurisdictionem, vel nullum peccatum intellexit ob surditatem, somnum, distractionem, &c.

Atque ex parte quidem poenitentis confessio iteranda est, 1^o. quoties sciens & volens, absque causa legitima, reticuit in confessione peccatum mortale, legitime non confessum, sive quoad speciem, sive quoad numerum, sive quoad aliquam circumstantiam debitam. Nisi ob simplicitatem magnam, vel inculpatae stupiditatem, absque notabili culpa sua ignoraverit talem vel talem circumstantiam esse necessariorum confitendam; vel ex conscientia erronea (errore inculpabili, vel saltem notabiliter non culpabili) bona fide crediderit non confitendam. Ita Doctores passim.

2^o. quoties notabilem negligentiam commisit in discutenda conscientia sua, nisi defectum istam suppleverit charitas & patientia Confessarii. Ita Catechismus Romanus.

3^o. quoties nullus extitit dolor de peccatis, aut propositum emendationis. Vel certe dolor, aut propositum non fuit ex toto corde, sed ex semiplena & semilauca voluntate, aut ex velleitate potius quam seria efficacique voluntate. Uti ex antedictis plerumque contingit in consuetudinariis; in facile & citò recidivis; aque in peccatoribus existitibus in proxima occasione, quam sub prætextibus insufficientibus nolunt deferere. Uti enim confessio iteranda est, cum integritas ipsi defuit ex gravi culpa conscientis; ita & dum ex eadem culpa debitus dolor ipsi defuit.

Assertio secunda: si Confessio invalida apud Confessarium iteretur, omnia mortalia, secundum numerum, species & circumstantias debitas, repetenda sunt. Cum prior Confessio nulla fuerit, & in ordine ad diversum Confessarium perinde se habeat, ac si facta non fuisset.

At si Confessio iteretur apud eundem Confessarium, adhuc memorem peccatorum sibi confessorum (licet invalidè) necesse non est omnia distingere & repetere, sed sufficit generaliter hoc modo: *accuso me de omnibus peccatis, quæ sibi invalidè confessus sum, & insuper de sacrilegio in illa Confessione commisso* (si scienter, vel ex negligentia graviter culpabili, seu alia gravi culpa, illud commiserit) addendo tamen distinctè peccata omnia, si quæ tunc omiserit. Ita Doctores communiter.

Pro coronide sciat Confessarius, ex plurimorum sententia fieri posse, quod aliqua Confessio invalida fuerit (defectu integritatis vel doloris) non idèo tamen confessiones omnes sequentes, in quibus ille defectus manifestatus non fuit, invalidæ fuerunt. Cum fieri possit, ut omisso ista in Confessionibus sequentibus contigerit ex oblivione, vel inadvertentia hæc & nunc non culpabili, saltem graviter. Quo casu necesse non erit repetere confessiones omnes intermedias, sed illam solum præcedentem invalidam, modo dicto. Ita Cardinalis de Lugo hic n. 599.